Hirzel (oder Hügel)
– 2 Werke
Angebunden ein Manz
mit 5 Kupfern

Digitized by the Internet Archive
in 2016 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/collectaneorumna00hieg_0

COLLECTANEORUM
Naturæ, Artis & Antiquitatis,
Specimen Primum

ANTIQUITATIS,
Sive

URNÆ SEPUL-
CHRALIS,

Nuper extra Urbem Moguntinam erutæ

Deſcriptio.



MOGUNTIÆ,

Typis JOANNIS MAYR, Typogr. Aulico-Academici.

Ad

Excellentiſſimum ac Perilluſtrem Heroem

LEOPOLDI,

Imperatoris Fœliciſſimi, Auguſtiſſimi, &c.

Generalem Campi Mareſchallum &c.

Nec non

LOTHARII FRANCISCI,

Eminentiſſimi Principis & Electoris Moguntini, &c. &c.

Supremum

Urbis Copiarumque Commendantem, &c.

Dominum D.

JOANNEM CAROLUM

Liberum Baronem de THÜNGEN, Dominum in Zeitloffs, Völckersleyer & Weickersgruben, &c. &c.

Mæcenatem per quam Gratioſum

cum omnium Fœlicitatum Voto

JOANNES CRAFTO HIEGELL,

Med. Doct.

Tab. 7.



Med. Doct.

Illuſtriſsime Heros.


VOlvendo mente hactenus mecum ſæpius, an non vel uno Nomine? qui *Excellentiæ Veſtræ*, tot Nominibus obſtrictus vivo, Obſequium meum devotè teſtari poſſem: Honorificus tandem Antiquarii Titulus, quo me, dum in Locupletiſſimo Numophilacio *Excellentiæ Veſtræ*, animum meum nobiliore iſto Antiquitatis otio, quandocies refeci, Gratiosè compellavit, audaculum reddidit, ut Specimen Antiquitatis Moguntinæ, Primitias meas, in Schemate Urnæ Sepulchralis nuper repertæ, cum aliquali enodatione in quibuſdam pagellis STRENÆ loco, humillimè præſentem, cum Voto, Anni hujus Milleſimi Sexcenteſimi Nonageſimi Septimi, Ingreſsûs Fœlicis, Progreſsûs Fœlicioris, Exitûs verò longè Fœliciſſimi, ad *Excellentiæ veſtræ*

Nobiliſſimæ Familiæ, Totius Romani Imperii, Patriæque meæ belli motibus afflictæ emolumentum: Canant interim alii Arma & victorias quibus datum eſt, quamdiu enim Rhenus ad Arcton, Danubiuſque auroram verſus perfluent, tamdiu celebrabunt *Te* ubique victorem, perpetuò Heroem. Ego ſpecimen do, non, quod debeo, ſed quod habeo, Ardua quidem res eſt, vetuſtis novitatem, obſoletis nitorem, obſcuris lucem, dubiis fidem dare; libuit tamen tentare quid valeant humeri, quid ferre recuſent, bene conſcius, ſi unum in Acervum omnes funerum ritus ac cæremonias colligere vellem, quas Antiqui diligentiſſimè ſervabant, quod infiniti propè laboris negotium aggrederer, cum nulla Gens tam barbara, nullus populus tam immanis fuerit, qui non ſuos mortuos Patrio ritu funerandos putarit, præter Stoicos, qui de nullâ re, quàm cadavere minus fuêre ſolliciti, unde Seneca Ep. 92. *Neminem de ſupremo officio rogo, nulli reliquias meas commendo, ne quis inſepultus eſſet, rerum Natura proſpexit; Quem ſævitia projecerit, dies condet*; & Lucanus in Cæſarem qui in Pharſalia Cives inſepultos reliquit.

Nil agis hac irâ! Tabeſne Cadavera ſolvat
An Rogus? haud refert; placido Natura receptat
Cuncta ſinu, finemque ſui, ſibi corpora debent.

In aliis econtra, ſatis habemus quod miremur, qui Sepulchra majori exſtruxerunt curâ quàm domos: & forſan, quod in his per fugientem vitam, in ſepulchris vero æternum manendum eſſe crediderint. Interim Legimus, apud Parthos avium aut canum laniatus ſepulturam fuiſſe, verebantur quippè, ne putrido cadavere inquinaretur ignis. Ponticos Maſſagetas &c. mortuos vel morti vicinos devoraſſe, rectius eſſe ducentes ut ipſi potius, quam vermes comeſſent. In aquam & paludes, ſuos mortuos projeciſſe, Pœones, Æthiopes &c. Lapidibus obruiſſe ſuos, Troglotydas. Arboribus vel Patibulo Colchos

ſuſpendiſſe


Tab. 1.
II.
III.
IV.
OPTIMO
S
C


Tab. 5.
II.
I.
IV.
III.

ſuſpendiſſe ſuos, ut ſileam de aliis olim pene innumeris apud diverſos populos ſepeliendorum mortuorum ſervatis diſcriminibus, vel adhuc uſitatis modernis in Anglia, Moſcovia, Hungaria, Italia aliiſque in locis propriis meis oculis obſervatis cœremoniis, ne in his diſcriminatim recenſendis nimius ſim; quibus miſſis. uſitatam, antiquioribus Romanis, cadaverum combuſtionem, quantum ad Urnæ propoſitæ elucidationem ſpectat, ſaltem proferam, his enim tanta ſollicita diligentia, provida cura & ſuperſtitioſus in amica pectora fuit affectus, ut igne ſtatuerint conſumere, quos vel bellorum motibus, vel Belluarum furore nollent erui, à vi ludibrioque tutos: & nè in auras abiret omnis, ſed potius poſt mortem, conſervaretur dilecti cadaveris memoria, cineres & oſſium reliquias collectas, ad poſteros tranſmittere, operæ pretium crediderunt, cui rei adhibitæ Urnæ vel Oſſuariæ vel Cinerariæ ex utroque uſu ita nominatæ; Mos autem hic antiquiſſimus, in Germania vel hic Moguntiæ quando receptus, & crematio cadaverum frequentata fuerit? Celebriores Antiquitatis indagatores longiùs deducant neceſſe eſt, dum tot veterum ſcriptorum dictis, totidemque Philologorum monumentis adeo decantatum, Moguntiam, Romanorum Domicilium ſedem ac ſtationem peropportunam & aſſiduam fuiſſe, ut nullus ſit qui de hoc dubitare audeat: Nobis teſtes ſuperſunt, eorum Principum nominibus geſtiſque in perpetuam memoriam inſculpti lapides, qui hinc inde in muris vel extra urbem in pagis lociſque finitimis plures integri pluresve confracti vel disjecti inveniuntur, è quibus eruditæ Antiquitatis monumentis nunc ſaltem quædam, pro ſpecimine ſubjungere liceat, cum literis, quas tempus, edax rerum, reliquit.

PROSALUTE. IMP. M. AV.
REL. - - - - ANTONINI.
PII. FELICIS.
FORTUNÆ. REDUCI.
LEG. XXII. PR. PF. C. GENI.
JUS. VICTOR. VET. LEG.
XXII. PR. P. F. M. HM NEGOT.
IATOR GLADIARIUS.
TESTAMENTO. FIERI.
IUSSIT. AD. HSN. VIII MIL.

Lapis extra muros in vinea Reverendiſſimi ac perilluſtris Domini à Stadion. Summæ Ædis Præpoſiti, &c. prope Sacellum S. Albani.

M. PETRONIUS.
C. F. CLA. ACELE.
MIL. LEG. XIII. GE
AN. XX. STIP. V.
H S. EST.
C. PETRONIUS
FRATER
PIE FEC.

Lapis in Pago Brezenheim in Veſtibulo templi.

AULUS. CORAULUS.
MIL. LEG. XXII. PP. F.
QUI. VIXIT. AN. XXXIII.
STIP. XIIII. CIVES.
CIVITATE ANCHE
VUSANUS. DIATR.
ET. MUCAPOR. MU-
RALIS. MIL. LEG.
FRATRES. ET. CONTU-
BERNALES. OPT.
PIETATE. FECERUNT.

Lapis in ruderibus Sacelli ad Pagum Caſtell, trans Rhenum.

HERCULI. SACRUM.
VALE. SPERATA.
L. MAGAL. VICTORE.
C. VALER. SENECIONE.
L. VALER. SECUNDO
P. VALER. PACATO.
FILIS.
V. S. L. L. M.

Lapis primus in area Sacelli S. Aurei propè Dalheim.


I. N. M. D.
GENIO. COL. LEGI.
IUVENTUTIS. VICI.
APOLLINESIS ACUTIUS.
URSUS. ET ACUTIA. URSA.
DONUM. DEDERUNT.
IMP. - - - - - - - - - - -
- - - IMP. - - - - - -
- - - - - ET. COMA.
- - ZONTE. - -
CO. S.

Lapis ſecundus primo adſtans.

Similia


Tab. 3.
I.
I.
II.

Tab. 4.



Similia plura & rariora, in quibus Romani terrarum Domini ad æternandamGloriam,vel ad propagandam conſecrandamque omni poſteritati ſui memoriam, factorum ſuorum magnitudinem, apud ſeram poſteritatem explicavêre, & apud nos Germanos reportatas de Majoribus noſtris Victorias, poſt plurium ſæculorum decurſus, cum trophæis depictis demonſtravere, reſervo pro hiſtoria Moguntina, nummis & inſcriptionibus illuſtranda, è quibus quædam, ne temporum injuria, hominumque incuriâ omnes ſenſim evaneſcerent, Eminentiſſimus Princeps & Elector JOANNES PHILIPPUS, piiſſimæ memoriæ, Pater Patriæ, nunc in Eminentiſſimo Nepote LOTHARIO FRANCISCO, Fœliciter ad clavum Imperii ſedente, Redivisſus, quondam Muris Portiſque inſeri voluit, cum ſedem ſuam Metropoliticam Urbem Moguntinam iiſdem per totum muniret, nam Glorioſum ſciverat, in anteceſſoribus videre & obſervare, quod de ſe ipſo admirabuntur poſteri. Arguunt nec minus Romanorum Antiquitatem his in locis, Nummi, in Urbes & agro Moguntino indies reperiundi, Reliquiæ illæ Majeſtati Imperii Romani, ex quibus plurima antea nondum nota colligi, perdita reſtitui, & jam cognita firmari poſſunt, tanquam ex viva hiſtoria antiquæ Gentis & Sapientiæ, in quo negotioſo Antiquitatis otio, *Illuſtriſſime Heros*, vigilantiſſimum in negotiis pro ſalute Auguſtiſsimi Imperatoris, & Imperii totius, Civitatiſque Moguntinæ in re bellicâ graviſsimis, Animum reficere quandoque ſoles, ut in ſpectatis Imperatorum vultibus, averſarumque facierum monumentis flammam Gloriæ & ad ulteriorem Heroe dignisſimam Famam, ſtimulos proprio in pectore plus ulrrà excites, unde factum eſt, ut ad Imperatorum, Regum, Principum, aliorumque Magnatum exemplar, Numo phylacium, rariſsimum, pretioſiſsimum, locupletiſsimum ex Auro Argento & Ære comparaveris, in quo, tanquam inter ſtellas Luna minores, genuinus Othonis nummus ex Ære corinthiaco, maximæ formæ, pro centum ducatis cremnizenſibus unius monetæ in Auro,

qui

qui ad noſtram reputati, quatuor centenis florenis reſpondent, ab *Excellentia Veſtra* comparatus, ſplendeſcit, cujus rariſſimi nummi, (eruti, quando Urbis Moguntinæ Muri ab imo deducebantur) Hiſtoriam, aliàs pandere liceat; ad has verò Antiquitatis Curioſitates inæſtimabiles, cum non tantùm gratioſus ſemper patuerit acceſſus, ſed & liberè, Diribitoris adinſtar tractandi licentia, indignus audiam, ni gratiam hanc ſubmiſsè rependere, devotionemque publicè teſtari, diu noctuque ſtuderem. Adhæc ulterius; Romanos, has Provincias olim tenuiſſe & ſatis diu coluiſſe, Limitem Rhenitenentes, comprobant monumenta quædam vetera, ex quibus adhuc hodie inſana illa ſubſtructio in propugnaculo montis S. Jacobi, ad *Excellentiæ Veſtræ* hortum amœniſſimum, glandis figura, hinc noſtris Eichell-Stein dicta, viſitur, præter cujus delineationem modò non plura; extra verò hodiernos muros, ubi ſacrarum Virginum Monaſterium eſt, Dahlheimenſe, in campis editioribus ſtant aliæ plures lapideæ moles inſolitæ, quæ an prioris Urbis mœnia, vel Aquæ ductum iiſdem inductum, vel Pyramides Sepulchrales Romanorum fuerint, ſuam de ſaxeis hiſce ſubſtructionibus cuivis opinionem relinquo, mihi certum eſt, varia quandoque Romana Numiſmata ex harum fundo erui; Tertium monumentum adderem lubens, quod olim ſtatuam Druſi ex Saxo, in Moguntini Telonii exteriore Muro ad ripam Rheni, exhibebat, cum inſcriptione IN MEMORIAM DRUSI GERMANICI. Sed pereuntem vidi, quando Galli Anno 1688. adſtantem Telonii turrim cum porta vulgò Borpfort deſtruxerunt, locum novis Aggeribus munientes, ſub quorum iniquo jugo nil niſi ingemiſcere tunc licuit.

Miremur periiſſe homines? monumenta fatiſcunt,
Mors etiam ſaxis, nominibuſq; venit.

Simile

Simile fatum temporis ſenſit, alterum Druſi monumentorum, Druſilacium, dictum, cujus delin[illegible] Schema, in tabulæ primæ, figurâ ſecundâ, ex vetuſtiore hiſtoriæ Moguntinæ Manuſcripto, adjungo, cum de eo vix veſtigium amplius appareat, præterquam apud Hiſtoricos, quod plurimis Romanorum Miraculis, Coloſſis, Palatiis, Theatris, &c. contigit imo Urbi ferè ipſi, Romæ, rerum gentiumque Dominæ, quam ipſe quondam Romæ in ruinis quæſivi fruſtra.

Qui (enim) miſeranda videt, veteris
veſtigia Romæ,
Ille poteſt merito dicere, Roma fuit.

SIC EUNT ORDINE FATA.

Romanorum denique Principes, ſi non Urbis Moguntinæ conditores, attamen poſſeſſores ſatis diu fuiſſe, cum Victrices ſuas importarent Aquilas: invenimus, in undique diſperſis Urnarum, Lucernarum, Urceorum, aliarumque ipſis in funeribus uſualium rerum fragmentis ferè innumerabilibus, in Urbe, in agris & vineis, ut & ad ripam Rheni, quarum quantitatem, non tantum ſæpius miratus fui, ſed & agros vineaſque, à tot ſæculis præparatas, indies novas ſuppeditare, rariſſimè attamen integras, dubio procul ob modo allegatam frequentem terræ tractationem; duæ ſaltem ſunt Urnæ ex fictilibus rarioribus, majores, quas in Patriâ urbe, integrè erutas videre contigit, Prima omnibus tranſeuntibus plateam, vulgò die Sticker-Gaß/ quæ ducit ad propugnaculum montis S. Jacobi, in cacumine pervetuſtæ domûs obſervanda pendet, catenâ affixa, figuræ, quam exhibet tabulæ primæ numerus tertius, altitudinis verò pedum circiter quatuor, reperta illa fuit, quando inhabitatores dictæ domûs, fontem fodi curarunt; erant tunc numero tres, invicem ſibi ſimiles ſimulque ſtantes, ex his, una, gratioſo cuidam Domino dono data, altera, ut contenta (erant nil niſi cineres) paterent, diffracta, tertia denique pro memoriâ

ſupremæ domûs contignationi appenſa fuit, una cum galeâ ferreâ tunc adjacente, quæ ſimiliter catenâ trabi affixa pendet. Alteram verò Urnam, jure emptionis meam, in ſubſequentibus lineis fuſius deſcribere liceat, & ne prolixior ſim, hinc inde ſaltem meminiſſe aliarum Urnularum, Lucernarum, Urceorum, Patellarum, alteriuſve ſuppellectilis antiquariæ, quam hoc anno erutam vidi, cum RR. PP. Carthuſiani, pro ampliatione Monaſterii, nova ponerent fundamenta, è quâ *Excellentia Veſtra* quædam obſequiosè oblata, in Mnemnoſinon venerandæ Antiquitatis gratiosè ſuſcepit. Præ memoratæ autem Urnæ meæ Acquiſitionis hiſtoria hæc eſt.

Præterito Martio Anni currentis ſupra Milleſimum Sexcenteſimum Nonageſimi Sexti, ut à ſtrenuis operibus medicis apud plurimum tunc ægrotantem militem in Noſodochio hujate ad S. Joannem Baptiſtam, jucundius reſpirarem, cum me extra urbem conferrem, & quidem ad pagum adjacentem vulgò Weiſſenaw / ſpe, quædam numiſmata, interdum ibidem repertibilia, comparandi: forte fortuna colonus dicti pagi, Nummum Imperatoris Trajani coemendum porrexit quem una cum Urnâ aliiſve in vineâ ſuâ inveniſſe aſſerebat, quo empto, 1. urnam, quam jam gallinis ad aquam exindè hauriendam expoſuerat, 2. magnum laterem 3. vitrum, vi ignis liquatum; cum aliis quibuſdam fruſtulis 4. diverſos clavos, quibus materia, vehementiore igne fuſa, adhærebat. 5. lucernam fictilem coloris rubicundi 6. denique urceos duos, unum cum anſâ unâ, alterum cum tribus anſis, memoratus inquam colonus exhibebat, confirmando, ſe omnia illa ſimul & ſemel in vinea ſua, à militibus ante aliquot Annos, cum urbem Moguntinam jugo Gallico fœliciter liberarent, devaſtatâ inveniſſe, dum eam pro novâ vineâ adaptandâ profundius foderet; ligone, urnâ unâ jam ex incuriâ deſtructâ, alteram majorem quæ laterem tegebat, ſummâ cum diligentiâ terram amovendo, ſpe theſauri extraxiſſe, aſt ſublatâ Urnâ præter incluſos cineres apparuiſſe nihil, ad-

ſtantibus

ſtantibus duobus urceis, & lucerna, nummoque adjacente, quæ, projecto cinere & oſſibus ſuper vineam, domum deportata, meæ curioſitati ruminanda nunc relinquere velit. Soluto igitur pretio, inſpecto tamen prius loco, collectiſque reſiduis cineribus & oſſibus in agro diſperſis, in Muſæum meum deportari feci, ubi ea inter cæteras Antiquitatis notas Amicis meis curioſioribus interdum perluſtranda aſſervo in ſitu figurâ & magnitudine naturali quam tabula ſecunda appoſita deſignat. Brevioribus nunc notis deſcribenda, percurrendo Veterum Romanorum ritus, mortuos ſuos comburendi.

Ægrotus cum traheret animam, ſanguine proximi, ſpiritum morientis, oſculo excipiebant flatum ultimum hauriendo; mox claudebant decedentis oculos, in rogo illos patefacturi, & ad priſtinam naturalemvè corporis formam reducturi diſtorta membra; dein conclamabatur per intervalla exanime corpus & abluebatur & inungebatur à Pollinctoribus, collocato eodem, in ædium veſtibulo ad ipſam januam, facie ac pedibus in publicum verſis, poſtremam abitionem ſignificando: interim cupreſſos ditiorum mortuorum domibus apponebant, dum Libitinarii requiſita appararent ad funera procuranda, quæ pompa funebris per Præconem indicebatur evocando Populum ut in illud prodiret; His verbis. *Exequias C. Titio, Lucii Filio, quibus eſt commodum ire, jam tempus eſt, Ollus ex ædibus effertur.* Efferebantur autem Nobiliores in lecto conſtrato purpurâ, aut linteis ſplendentibus, tenuiores vero in Capulis & Feretris, à Veſpillonibus ſuccolantibus ſeu Sandapilariis præcedente Tibicine, funebri Næniâ defuncti laudes canente: His adhibebantur & Præficæ, mulieres nempè ad lamentandum mortuum mercede conductæ, quem morem apud Moſcovitas adhuc uſitatum ſæpius obſervavi, quando tales pretio conductæ, vinoque aduſto ad ebrietatem uſque repletæ Lamentatrices, ululatu ſuo, concomitantibus plangendi dedere modum, canorâ ubique voce defunctum increpantes, cur mor-

tuus ſit? cur ſuam dereliquerit amantiſſima. tot pulcherrimarum prolium matrem? cur objiſti? ſuffici. t tibi veſtes, nummi, vinum aduſtum; cur objiſti? & ſimi quæ riſum potius quam Lachrymas extorquent; licet hari ociferantium mulierculatum nummerus major, Honoratic deſignet ſepulturam, uti ipſemet ultra quinquaginta ni... avi, quando Magnus Dux Moſcoviæ *Feodor Alexevvitz* A 1682. ad locum ſepulturæ efferebatur. Sed miſſis his, re. n ad Romanos. Corpus elatum præcedebant ſervi, manu i, ſequebantur liberi, propinqui, affines, aliique amici luge im habitu, in forum ubi extincti laudationes ſeu Epicedia h bantur, quibus peractis, funus procedebat ad locum, ub functus cremandus erat, extra urbem, more recepto, non tum ſub ipſis urbis incunabulis, ſed & legibus 12. tab. renov : *Hominem mortuum in Vrbe ne ſepelito neque urito*, deind. enatus conſulto &c. Abſque dubio ne fœtore iſto, vivent um corpora inficerentur vel ignis damnum inferret; cinere tamen ejus qui triumphaſſet, aut Imperatoris qui hoſtes bel domuiſſet, vel armis Rempublicam auxiſſet in Urbem ferre cebat; mortuus tamen, intra duo millia paſſuum ab urbe, non remabatur, qualis locus nuper innotuit extra urbem in Cartl ſia, quando ſupra me morata vaſorum funeralium fragmenta u & carbones junctim eruerentur, tanquam certiſſimum ſignu , cadavera ibidem fuiſſe combuſta, ſimili etenim in loco Pyram in modum Aræ, variarum ſpecierum lignis aggeſtis conſtruebant, circum circa cupreſſos, ubi habere contigit, depangentes, arſuras, ut gravem Uſtrinæ fœtorem jucunditate odoris comprimerent, quem in finem, variis quoque odoribus inungebantur cadavera, qui & acervatim in rogos ditiorum conjiciebantur, thus, myrrha, nardus &c. Pauperioribus ſufficiebat Pix, quales fuêre, quorum inſcriptio apud Kirchmannum p. m. 206. *Nec ex eorum bonis, plus inventum eſt, quam quod ſufficeret, ademendam*

Pyram,

Pyram, & Picem, quibus corpora cremarentur, & præfica conducta eſt & Vrna empta. Talem piceam vel reſinoſam materiam igne alteratam, clavis ſub Urna ſimul repertis, inque tabulæ tertiæ figura 3. delineatis adhærere crediderim, quem verò in uſum iidem fuerint adhibiti, me latet; ùt ùt Tibullus teſtetur cadaver quandoque cum lecto comburi ſolitum.

Flebis & arſuro, poſitum me, delia, lecto.

Varia quoque animalium genera, ùt oves, boves, ſues, canes, equos, aviculas &c. antiquitus conjiciebant in rogum, cum cadavere abſumenda, aliaque quæ defuncto cordi in vita fuerant, veſtes, inſignia, Arma, Annules, cæteraque ornamenta, quibus efficaci ſtudio defunctus quondam uſus, vel ii, qui funus proſequebantur excultierant, unde & in citata Carthuſia, cum oſſibus humanis, oſſa animalium, fruſtula frœni, campanulam, Annulum æneum, &c. eruta, conſpicienda contrectandaque mihi exhibuerunt, qualia plura in apricum abſque dubio veniſſent, ſi pro ampliore ædificio, majora fundamenta locanda fuiſſent, humus namque nigricans, ab incumbente & inferius ſitâ, colore diſtinctâ, majoris Uſtrinæ ſpatium deſignabat; tantùm enim ſuperſtitio, non ſolummodo excrevit, ut vivi homines, captivi vel ſervi ad Rogum virorum illuſtrium mactati in eodemque combuſti, vel in aliorum honorem ludi editi fuerint, ſed & Decurſiones inſtituerentur militum ſeu Gladiatorum, quos Buſtuarios dicebant, cruentæque pugnæ circa Rogum, ne ſcilicet incomitati ad ſtygem deſcenderent; Alii præ nimio amore erga defunctos vel ſe in rogum abjecêre vel interfecêre ad eundem, quale Exemplum exhibet nummus quidam Othonis quem Reverendiſſimus & Perilluſtris Dominus à Greiffenclau Metropolitanæ Moguntinæ Eccleſiæ Decanus &c. inter ſi non plurimos ſaltem rariſſimos aſſervat, hunc Tacitus lib. 2. de funere Othonis his verbis explicat. *Quidam militum juxta*

Rogum interfecere ſe, non noxa, neque ob metum, ſed æmulatione decoris & charitate Principis. Interebat autem vultu & capite averſo ardentem facem Rogo is qui majore neceſſitate junctus erat defuncto, Præficâ interim leſſum ſeu lugubrem ejulatum perſonante, dum alii ventos optabant, qui flammam ardentiorem ſuſcitarent alerentque, ut cadaver impoſitum faciliùs citiuſvè abſumeretur, cujus ignis vehementiam colligo, ex miré colliquato vitro, ni fallor, lachrymali, in Urna meâ reperto & in tabulæ tertiæ figura ſecunda depicto; quâ, ubi omnia conſumpta eſſent, conjuncti ſanguine, extinguebant ignem, vino, collectos cineres & oſſa eodem lavabant dein irrigabant lachrymis quas in fideique & amoris debitum teſtimonium pro dono ultimo fœcundiſſimas & paratiſſimas tam ex more quàm ex munere effundebant, de hinc includebantur vaſculis ſive Urnis, proprio nomine vel oſſuariis vel cinerariis, nunc majoribus nunc minoribus. Urnæ, de quâ ſcribo, formam exhibet tabulæ ſecundæ fig. 1. hanc à figulo habet, craſſitiei eſt ad minimum pollicis, duritiei ſummæ, ut optimè tractari poſſit, coloris albicantis in griſeum vergentis: Argillacea autem quod ſit, ſignum paupertatis vel ſimplicitatis eſſe, minimè dicam, quanquam olim pro conditione & facultatibus cujuſvis vel viles vel pretioſæ extiterint, dum illuſtrium virorum oſſa, Aureis, Argenteis, Æneis, Marmoreiſque condidere: ſit potiùs ſignum ſecuritatis; fictiles enim, quis ſpe lucri effodiet? hujus momenti quoque ſunt Urnæ vitreæ, quales plures Anno 1692. mihi Moguntiam reduci, videre contigit in curioſiſſima curioſitatum camera Reverendiſſimi & Perilluſtris Domini ab Eltz, tunc temporis ſummæ Ædis Scholaſtici. P. M. In has ſimileſvè Urnas Reliquiæ cremati cadaveris colligebantur vino lotæ lachrymis irrigatæ. Quas lachrymas priſco ritu fuſas vitreo vaſculo ut plurimum injectas non tantum Rogis, quod ſupra innui, componebant, ſed & oſſibus apponebant, ita ut

in omni-

in omnibus fere monumentis phyalæ tales lachrymales reperiantur, è quarum cenſu *Excellentia Veſtra* quaſdam aſſervare dignatur: mihi duæ ſunt, aliis in ſepulchris repertæ, illa verò quæ Urnæ, quam deſcribo, cum oſſibus terræ illata fuit, per incuriam coloni diffracta, nil niſi fortunæ ſymbolum reliquit. Poſitis ergo Vaſis lachrymalibus Urnam humarunt nunc erectam, nunc inverſam, quod ultimum meæ contigit, quæ oſſa non continebat, aſt tegebat, lateri impoſita ad mentem Virgilii. lib. 6. An.

Poſtquam collapſi cineres, & flamma quievit,
Relliquias vino & bibulam lavêre favillam,
Oſſaque lecta, cado texit Chorinæus, aheno.

Inde forſitan Lucanus. *Cælo tegitur, qui non habet Vrnam.* Lapis ſubſtratus, later erat quadratus, quem pro Acerrâ, in qua ante mortuum odores incendebantur, inſerviviſſe, facilè crediderim, viſu verò compertum fuit, eundem poſt cremationem oſſa ſuſtinuiſſe. Quo ad locum, obſervavi in præcedentibus lineis; lege cautum fuiſſe apud Romanos, ut extra urbem mortui vel ſepelirentur vel urerentur, licet enim in ipsâ hac urbe Moguntina Urnas repertas ſupra affirmarim, vel ipſe viderim ſarcophagos aliaque monumenta Romanorum erui à Gallis, quando portam, vulgò die Newpfort/ deſtruendo, eundem locum ad radicem propugnaculi, altioribus aggeribus muniebant; malim attamen credere, Humationis erutorum tempore, Urbem eodem in loco fundatam non fuiſſe, hiſtoricorum ſcriptis perſuaſus. Illa etenim loca vel publica plurium funeribus deſtinata, vel privata quæ unuſquiſque in ſuo fundo ſepulturæ aſſignarat, communiter tam in agris quàm in hortis erant, ac ita quidem ut ſi fundum viæ publicæ proximum haberent, in ea

parte, quæ celebriorem urbis viam ſpectabat, ſepulchra conderent quò prætereuntes admonerent & ſe fuiſſe & illos eſſe mortales, ab his præcationes exoptantes, ad quas eaſdem inſcriptionibus compellebant ſæpius, unicam ex Guthero p. m. 391. huc transfero.

T. LOLLIUS. T. LOLLII. MASCULUS
III. VIR. BONDICO MENSIS.
HIC. PROPTER. VIAM. POSITUS.
UT. DICANT. PRÆTEREUNTES,
LOLLI. VALE.

Imò, quamvis pauperioribus ſaxum ſolummodo poneretur (Lapis ultimus ſepulchralis dictus) attamen, ne viatores immoniti tranſirent, uno vel altero verbo loci conſecrationem & Religionem deſignarunt, e.g. *Aſpice viator. Cave viator*, vel, quod plures majores lapides in agro Pagi è regione Urbis trans Rhenum, vulgò Caſtell/ ad viam publicam quæ ducit ad thermas Wisbadenſes, literis uncialibus habent, DIS MANIBUS. Manibus nempe hic locus ſacer eſt. Ad quæ ſigna prætereuntes precabantur, *Fælix Lapis; molliter oſſa quieſcant; ſit terra levis. &c.* Manium enim imprecationem mali quoque moris inviguiſſe, ut etiam inſcriptionibus cavere, neceſſum fuerit, ex Guthero pro exemplo ſit, hæc Romæ reperta.

VIATOR
NOLI. MIHI. MALEDICERE
NEQUEO. IN TENEBRIS
RESPONDERE.

Qui verò, neque precabantur neque imprecabantur, Manes contemnere & negligere & exinde in ſomniis ab iiſdem torqueri credebantur ad mentem Tibulli. lib. 2. eleg. 6. *Ne tibi neglecti, mittant mala ſomnia Manes.* quod facit ut exiſtimem, Urnam meam cum oſſibus, propè viam publicam quæ ducit in pa-

in pagum Laubenheim/ humatam fuiſſe, extra Urbem ad pagum Weiſſenaw/ è regione templi S. Victoris, quod templum Anno 1552. flammis conſumptum in ſuis ipſius ruderibus adhuc jacet: ibidem inquam Urna, & forſitan in proprio demortui fundo, (proxima hæc Sepulturæ fœlicitas erat) reperta fuit, an autem & ibidem cadaver combuſtum fuerit? nullam, aſſerendi cauſam inveni, utut lectione ſciam, plures in eodem loco ſepultos fuiſſe, inquo comburebantur, imò etiam Pauperioribus parabantur ſaltem ſcrobes ad longitudinem corporis, in quibus rejecta cadavera paucioribus lignis cooperta, facilius combuſta, terrâ illico obruebantur; contrarium attamen morem, uſitatum quoque, pulcherrimè Martialis deſcribit lib. 9. Epigr. 31.

Retulit oſſa ſinu, chari Nigrina mariti,
Et quæſta eſt, longas non ſatis eſſe vias:
Cumq; daret ſanctam, Tumulis, quibus invidet Urnam,
Viſa ſibi eſt rapto, bis viduata, Viro.

Locum ergo ſeparatum à Rogo dixerim, & quidem ſepulchrum familiare, quanquam duæ ſaltem Urnæ in eodem repertæ fuerint, plures enim quondam aſſociatas tractu verò temporis erutas fuiſſe, conjicio ex undique in vineis & agris Weiſenavienſibus ejuſdem diſtrictûs, fragmentis innumerabilibus cœli injuriis projectis, quæ ad oculum comprobant privatorum ſibi familiæq; in propriis agris aut fundis conſtitutorum ſepulchrorum uſum, tractu temporis abolitum, cujus viciſſitudinis rationem reddit Plato lib. 12. de legibus. *Nullum, in loco fœcundo & agro ad culturam apto, ſepulchrum fiat, ſed is locus corpora defunctorum*

ſtorum recipiat, qui ad cætera inutilis, & ad id tantum commodus viventes minimè lædit; nec enim à vivis, neque à mortuis terræ matris fœcunditas impedienda eſt.

Quo ad contenta oſſa, quæ non adeo comminuta fuére, quin forma & figura adhuc dignoſci poſſit, cujuſnam conformationis uſuſque fuerint in Machina corporis humani quondam integrâ, de cranio, oſſibus brachiorum, pedum, &c. coloris partim candidi, partim ab igne nigricantis; Adſtabant illis Urcei duo qui præter glebam modò continebant nihil, quondam vero, vinum dixerim, quo cum cineres & oſſa lavata fuere vinum nempè favillarum, quod irreverenter effundere vetabat amor & Religio, aliter tamen conſervandi, vix erat occaſio. Quo ad materiam, fictiles ſunt ex argilla albicante, formam exhibibet tabula ſecunda: tales mihi plures ſunt alibi reperti integri, diffractorum econtra numerus ferè innumerabilis undique projectorum eſt in citatis ſæpius locis agriſve Urbis. Vitreum quoque conſervo, dolioli in formam figuratum, quem tabula tertia deſignat, repertus ille fuit in ſarcophago à Gallis, cum ad montem S. Albani extra muros vineam Vulgo den Bienen-Garten / devaſtarent Anno 1688. ſemiplenus erat liquore limpido & inſipido, (ita referebant foſſores) quem per incuriam ſimul ac inſcitiam effuderunt, priuſquam prætio redimendum tradérent. Præter modo memoratos urceos, adſtabat & Lucerna coctilis, figuram oſtendit tabula ſecunda, ab omnibus, quas vel æri lignove inciſas aut in charta delineatas videre contigit, plane diverſam, nempè ſphæricam; ſupina parte plana eſt, protuberat in ſummitate cum uno foramine ampliore, per quod oleum ſimul & ſemel infundebatur, dein Ellichnium inditum; tria alia foraminula admittebant aerem, coloris eſt rubicundiſſimi, anſulas habet nullas, nec ullas infundo notas nec literas neque figuras, quales plures effingere ad libitum artificum, moris fuiſſe, erutæ docent; Horum vel figulorum vel officinarum catalogum, ab antiqui-

antiquitatibus Neomagenſibus, celeberrimus Smetius ordine alphabetico concinnavit, cui ob defectum inſeri poſſet in fundo Lucernæ tertiæ, Tabulæ quartæ, ſignata officina, videlicet ANTESTAOF. Notabantur & quandoque Lucernæ, Defuncti nomine, aliquando Amici à quo accendi curabantur, nonnunquam Servi à quo cuſtodiebantur, interdum Numinis cui dicabantur; hujus Exemplo ſit Lucerna ſecunda tabulæ quartæ cum Neptuno, vel liceat illam primo loco delineare in allegatâ tabulâ, quam *Excellentia Veſtra* in Carthuſiâ repertam & oblatam, ab interitu vindicandi, gratioſè ſuſcepit, & Satyri vel alterius cujuſdam Numinis caput exhibet. Deorum enim ſimulacra poſt mortem etiam in ipſis cineribus colere, antiquiſſima erat gentilium Romanorum Religio, Quæ nobis ex vetuſtioribus monumentis ſæpius ea promit, quæ Larium nomine quondam adorabantur: Hos Deos Lares ex Mercurio & Lara Nympha, ùti credebant, genitos, in domibus certis in Larariis ſive ſacrariis domeſticis aſſervabant ut diſcedentes iis vel valedicere vel revertentes ſalutare, potiùs adorare, poſſent, ex quorum numero Mercurium meum æreum Tabulæ quintæ figura prima refert, qualem *Excellentia Veſtra* quoque aſſervat cum Vulcano (quantum auguror) certè elegantiſſimo ut & Hædulo in figurâ ſecundâ & tertia expreſſis, his adjacet quarto facies, forſitan Sileni ſinè occipitio, ex ære, in Monumento antiquiſſimo ſimulac profundiſſimo reperta. Talia Deorum ſimulacra multa, & maximè Mercurium Germanos Veteres Publicè coluiſſe, poſt C. Jul. Cæſarem Cornelius Tacitus author eſt, exindè hic appoſita minora Diis domeſticis annumero, quæ non tantum adorata ſed ſæpius inſtar Amuleti ſecum portata fuiſſe clarè innuit Apulejus in Apolog. *Nam morem*, inquit, *mihi habèo quoquo eam, ſimulachrum alicujus Dei, inter libellos conditum geſtare, eiq; diebus feſtis Thure & mero & aliquandò victimis ſupplicare, eratq; Mercuriolus.* Idem. *dudum*

ergo cum audirem, ſceletum per quam impudenti mendacio dictitari: Juſſi, curriculo iret aliquis & ex Hoſpitio meo Mercuriolum afferret, quem mihi Saturninus iſte Oea fabricatus eſt. Animalis etiam effigiem talia ſimulacra non raro referebant, cui tanquam vero Numini cultum tribuerunt divinum, ex quorum cenſu, appoſitum *Excellentiæ Veſtræ* hæduli vel arietis ſimulacrum ſit loco exempli, quod ùt ùt uno pede mutilum; juvat attamen ſimiles laceras veterum Reliquias velut è naufragio colligere, ne vel tempeſtate vel vi, vel vetuſtate intereant planè. Redeo ad Lucernam ut de contentâ quondam materiâ, pauca adjungam, & oleum fuiſſe, tractu temporis conſumptum, non eſt quod ambigam, an verò & incombuſtile? nullæ quæ me moveant ſunt rationes, contrarium exinde colligo, quod Lucerna terræ indita, ſtatim gleba obruta ſimulque extincta fuerit, ſemel tamen arſiſſe, fas eſt credere, quanquam nullum in eodem appareat ſignum, quale in quibuſdam aliis obſervare licuit, dum orificia earum Lucernarum nigra & inquinata fuêre à craſſo denſoque fumo, ac ſi modò arſiſſent, licet ne guttulam olei plus continerent. Uti verò rariſſimum eſt contentam quondam materiam ſive oleum in iiſdem nanciſci, ita communiſſimum econtra eſt, eas in omnibus fere Romanorum ſepulchris detegere, quæ illud quondam continebant, nempè Lucernas. Comprobat ſententiam meam Multitudo quæ paſſim, Patrum, Avorum, noſtrorumque tempore, in agris, in vineis, in montibus aliiſque in locis detecta aſſervatur in ſplendidiſſimis Muſeis, pro Antiquitate Uſu ac Fabricâ perpendenda; Confirmat frequens evidenſque illuſtrium Authorum teſtimonium: Unicam vitream obtinui cum urceo vitreo ſupra memorato, oleo ſemiplenam, quod ùt ùt oleum Nucis moſchatæ expreſſum adunguem repræſentet, odore tamen, aliiſque ſignis certis potui cognoſcere oleum olivarum fuiſſe & eſſe rancidum. Lucernis poſitis in Animæ immortalitatis ſignum, quæ igneâ

repræ-

repræſentatur ſpecie, & poſt injectam glebam, Sacerdos circumſtantes luſtrabat ter purâ aquâ aſpergendo & altâ voce pronuntiando ILICET. quo dicto, qui funus comitati erant extremum Vale clarè dicebant, ingeminando. VALE! VALE! VALE! *nos te ordine, quo Natura permiſerit ſequemur.* Levem præterea terram ſivè ceſpitem præcantes: Poſt hæc, Quilibet domuitionem parabat æd epulas ferales aliaque ſacrificia, Juſta dicta, quod jure fierent Iis, Qui de Nobis, viventes, benè meriti fuerunt, quem in finem etiam Aras ſepulchris apponebant, in quibus, pro Manium quiete Inferiæ dabantur: Erutam talem Aram à Militibus Cæſareis in Urbis fœlici obſidione Anno 1689. & poſt fœliciorem undecimo ſeptembris ejuſdem Anni, Urbis receptionem, in agro projectam (ne ulteriore tempeſtatum inclementiâ, Amicorum meæque erga venerandam Antiquitatem Obſervantiæ ſubduceretur) in hortum meum tranſtuli. Altitudinis $2\frac{1}{2}$. latitudinis verò $1\frac{1}{2}$. pedum eſt atque vaſis Pontificalibus ſignata in lateribus. Similiter ſuper tumulum ſtatuebatur Cippus lapideus, qui nomen & elogium depoſiti de more continebat, in quibuſdam tantum Nominis & Parentis mentio facta, in aliis econtra præter Patriam & Parentes, Profeſſio, Ars & Ætas & genus mortis addebatur, nec minus in aliis viſuntur inſtrumenta, Dolabra, Circinus, Norma, &c. ut defuncti Artificis Profeſſio forſitan indiceretur: Cippus Lapideus qui ſupra allegatam inſcriptionem in pago Brezenheim continet, mallei figurâ ſignatus eſt, & terminum Urnæ meæ ſepulchrali ponit, imò finem, ubi quædam addidero, de Nummo junctim reperto, Nervo rerum gerendarum: Nullâ enim in re, auſſim dicere, tantam aut ſolertiam induſtriamque Populi Romani exſtitiſſe, aut inpropagandâ longè lateque ad omnem poſteritatem conſecrandâ ſui memoriâ, ambitionem, quanta in ſolâ re Nummariâ, & toto Monetarum Numiſmatumque genere

obſervari poteſt. Neque potuiſſent Hi terrarum Domini aliud commodius medium æternandæ gloriæ ſuæ, cujus avidiſſimi erant, invenire, his ipſis Nummis, per quos in omnes terras miſſi ſunt, ut præſentes ubique eſſent ac cerni poſſent; factorumque ſuorum magnitudinem apud ſeram poſteritatem explicare, unde & moris erat, cum mortuis Nummorum copiam pro cujuſcunque arbitriò ac voluntate defodere, qui mos tamen ſucceſſu temporis abolitus, & benè, aſſentiente Caſſiodoro lib. 4. epiſt. 34. *Ædificia tegant cineres, Columnæ vel Marmora ornent Sepulchra, Talenta non teneant, qui vivendi commercia reliquerunt.* Ibidemque ait, culpæ genus eſſe, inutiliter in abditis relinquere mortuorum, unde ſe vita poteſt ſuſtentare viventium. Priſco igitur more, qui per vetus vigebat Nummos in ſepulchris condiendi, Nummus delineatus in Tabula prima oſſibus quondam aſſociatus fuit & quidem dubio procul pluribus aliàs erutis: Indies enim àColonis, quando pro reſtituendis vineis adaperitur tellus, varii diverſorum Imperatorum reperiuntur Nummi, inter quos & Trajani, cujus & præſens eſt, frequentes ſunt; Hujus verò Imperatoris vita, geſta & obitus, cum brevius, fuſius, per Plurimos Hiſtoricos recenſeantur, pauca ſaltem, quæ ad Nummi aliqualem elucidationem faciunt, addam. Nummi inſcriptio hæc eſt. IMPeratori CÆSari NERVÆ TRAIANO AVGuſto GERmanico DACico Pontifici Maximo TRibunitiâ Poteſtate COnSuli VItum Patri Patriæ! caput cum laurea, oculiſcavis, vultu decoro, qui & humanitatis nótas referre videtur. Nerva Trajanus dicitur, quia à Nerva adoptatus, cui Trajanus in imperio ſucceſſit, ante Ulpius dictus: Natione erat Hiſpanus, inuſitatæ civilitatis & fortitudinis: Romani Imperii fines longè lateque diffudit: Urbes trans Rhenum in Germania reparavit: Daciam Decibalo victo ſubegit &c. Hinc cognomina Germanici, Dacici &c. Inter alia dicta hoc illius fertur egregium,

Amicis

Amicis enim culpantibus, quod nimis circa omnes comis eſſet, reſpondit, talem ſe Imperatorem eſſe privatis, quales eſſe ſibi Imperator privatos optaſſet. Poſt ingentem igitur Gloriam belli domique quæſitam è Perſide rediens, aquâ intercute correptus obiit: Regnavit Annis xix. Solus omnium intra Urbem ſepultus eſt; Oſſa collata in Urnam auream, in foro quod ædificavit, ſub columna altitudinis 140. pedum, ſita ſunt. Obiit Anno Chriſti 120. adeoque Ætas Urnæ, ob adjacentem Trajani Nummum, foret Annorum 1577. Partis Averſæ Nummi inſcriptio hæc eſt. Senatus Populus Que Romanus OPTIMO PRINCIPI. Ubi Imperator Trajanus togatus puero adſtanti ſpicas porrigens, ſiniſtrâ tenet cornu copiæ, ſub eo verò legitur ALIM$^{enta}_{entatio}$ ITALIæ. In medio Senatus Conſulto. Hæc Explicat Plinius in Panegyrico, ubi inquit: *Nihil magis in tuâ totâ liberalitate laudaverim, quam quod congiarium das de Tuo, Alimenta, de Tuo &c. Romam regreſſus,* & Xiphilinus inquit, *Multa fecit ad emendandam Rempublicam, atque in bonorum gratiam, quorum imprimis curam geſſit: nam Civitatibus Italiæ multa largitus eſt, ad educationem liberorum, in quos magna beneficia contulit.* Alias Nummi & Urnæ ſubtilitates & plures eſſe & curioſiores, fateor, illoſque fœlicius eaſdem reddere poſſe, quibus plus otii, horæque ſubſicivæ plures ſunt vel ad elucidandos Nummos vel ad eruendas Antiquitates: Neque auſusfuiſſem vires in his primitiis tentare, niſi, quod repeto, me Audaculum reddidiſſet ſæpiſſime Expertus Favor & Gratia, quandocunque adhoc ſtudium, quod mihi ad complurium præſtantiſſimorum Jatrophylologorum Exemplar (nullum enim Romanos Nummos vel contemptorem, vel inimicum habere crediderim, niſi aut ignorantem aut invidum) poſt exantlatos quandoque Herculeos labores Medicos Feriarum loco in delitiis eſt per quam maximis.

me

Excellentia Veſtra Gratioſe me compellavit, Quam Deus Ter optimus Ter Maximus Nobis ſervet, Suiſque Nummis cum Nummum brevi addat.

Quem Conſtantini cudat LEOPOLDUS
in Urbe,

Ludibrium & pœnam, Turca Tyranne
tibi.

Ita Vovet.

Excellentiæ Veſtræ

Dabam Moguntiæ
Calendis Januarii
M. DC. XCVII.

Obſequentiſſimus.

JOANNES CRAFTO HIEGELL,
M. D.

Special
DD
901
M24
H63
1697
90-B
29383

THE GETTY CENTER
LIBRARY